CONFESSIO RE

LIGIONIS CHRISTIANAE, SACRA-
tissimo Imperatori Carolo V. Cæsari Au-
gusto in Comitijs Augustæ. Anno
M. D. XXX. per Legatos
Ciuitatum Argentorati,
Constantiæ, Mem-
mingæ, & Lin-
dauiæ ex-
hibita.

SI QVIS VOLVERIT VOLVNTA-
ti eius obtemperare, is cognoscet de doctrina, utrum
ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Ioh. VII.

MAGISTRATVS

ET CONCILIA CIVITATVM, ARgentorati, Constantiæ, Memmingæ, & Lindauiæ, precantur uniuersis in Christum seruatorem nostrum credentibus, incrementa sancti spiritus, & sua offerunt obsequia.

Decit Sacratissima Cæsarea Maiestas in Comitijs imperialibus, superiori anno Augustæ habitis, statim dum illa auspicaretur, Principibus Electoribus, ac reliquis Principibus Sacriq; Romani Imperij ordinibus, inter alia exponi, sibi cum primis in uotis esse, rationem, uiamq; quærere, qua graue & noxium illud circa religionem dissidium, quod Germaniam iam aliquot annos exagitasset, componeret, certamq; restitueret concordiam, hacq; caussa se petere, serioq; poscere, ut Principes Electores, ac

cæteri Imperij proceres, statusq́, de hisce dissensionibus, & graui inimium dissidio, ijs etiam quæ uel ecclesiastici à profanis, uel profani ab ecclesiasticis, aut utriq́ à sui ordinis hominibus, indigne fieri arbitrantur, suam singuli sententiam, quæq́ profutura istis remedia crederent, quantũ quisq́ cum sua id, rum Reipub. interesse nouisset, Latine & Germanice conscriberent, sibiq́ offerrent, hoc pacto nõtã rebus suis, quã publicę paci cõsulturi, atq; ad illud haud parum commodaturi, ut omnis istius uarietatis ac scismatis caussis, rationeq́ tota, penitius perspectis, cognitis, atq; perpensis, pacari facilius omnia, & restitui possent, uiuendiq́ ratio reparari, sicut uere concors, ita Christo quoq; digna. Huic petitioni tam seriæ, atq; urgenti, nostri, quos legatos ad ea comitia miseramus, uolentes ut decebat morem gerere, curarunt capita eorum, quæ apud nos tanquã Christi dogmata, sacris Euangelijs, cæterisq́ arcanis literis nixa, iam pridẽ doceri, tradiq́ in eccleſijs religiosæ plebi solent, per aliquot nostros concionatores, quos illis adiunxeramus, latine & germanice, in breue compendium, ad modum Confessionis, ita ut á festinantibus, & breui eo rempore, quod ad hæc concedebatur, fieri potuit, digeri, statimq́ ea S. Cæsareæ Maiestati, ita ut illa iusserat, obtulerunt. Eo & fidei ac religionis quàm sectamur, eorumq; quę apud nos ad Euangelij prescriptum reformata sunt, rationem illi nostro nomine redderẽ, & nostrum in eam studium simul testari conati. Cum autem post huiusce confessionis oblationẽ, per aliquot menses, nihil prorsus hac de re, cum his nostris legatis actum esset, idq́ preter spem, quàm & ex literis, quibus S. C. M. comitia indixit, & ex prima illa, quàm modo memorauimus propositione, initio comitiorum facta, nõ abs re conceperamus, tandem sub finem comitiorum, lecta est nostris legatis, præsente

S. C. M.

S. C. M. Principibus Electoribus, alijsq; Principibus, & S. Imperij ordinibus, admissis etiam quibuslibet, Confutatio quædam, quàm Doctores quidam, Theologorũ se titulo uenditantes, iurati ministri partis aduersariæ, cõposuerant, Sacratissimæq; C. M. nobis loco responsionis ad nostram Confessionem, legendam, obtruserant. Iam nostra Confessio palam lecta non est, Doctores uero illi multorum nos in sua Confutatione insimularunt, et tanquam ea de nobis ipsi confessi essemus, memorarunt, quorum non modo in nostra Confessione nusquam meminimus, sed ne in mentem unquam uenit: Deinde & ea quæ confessi sumus, inuerterunt pleraq; omnia, praueq; adductis scripturis, uanisq; paralogismis oppugnarunt. Quibus scilicet rationibus, uisum illis est S. C. M. in nos prouocare, bonisq; & religiosis omnibus, inuisos & abominabiles reddere. Ne igitur nos tam impiæ criminationi tacendo fidé facere, & diris istorũ calumnijs, Christi ueritatem quàm profitemur, prodere quisquam existimaret, uisum est, illam Confessionem nostram, in publicum ædere, adiuncta eius Apologia, quàm nostris ecclesiastis parare nuper mandauimus. Nam religio erat, saluificam Christi doctrinam, nobis singulari adeo Dei bonitate cõmunicatam, tantis blasphemijs non adferere, & ferre, nos horrendis adeo, sed æque falsis criminibus notatos, publicum offendiculum constitui. Confutatores siquidem isti, per totam illam suam Confutationem, ipsissima Christi dogmata, impietatis & hæreseos traducunt, nos uero secessionis à sacrosancta Catholica ecclesia, defectionis à syncera fide religioneq; Christi, ad quoslibet pestilentissimos & portentosos errores, sectasq;, deniq; & uiolatæ S. C. M. fidei, negatiq; temere ac procaciter debiti obsequij, accusant, & altero quoq; uersu criminantur. Quo igitur Christiani nominis professores, cognoscere possitis,

quam nulla uel ſpecies ueri iſtis calumnijs inſit, per Chriſti Ieſu gloriam, cui uni hiſce in rebus ſtudemus, oramus, hanc noſtram Confeſſionem, eiusq; Apologiam, in qua optima fide Confutatorum uerba & argumenta adducta ſunt, legere, & ad ſcripturarum fidem omnia expendere, noſtrasq; & Confutatorum iſtorũ rationes inter ſe librare uelitis. Quod ſi exorari uos paſſi fueritis, certi ſumus, uos cognituros, indubitata nos Chriſti præcepta ſequi, & ſecundum hunc S. C. M. ſummo ueroq; ſtudio dicto audientes eſſe, ut certe non ſolum huic Cæſari noſtro Clementiſſimo, quem poſt Deum in terris ſupremum rerum moderatorem colimus, per omnia obtemperare, ſed quibuſlibet etiam principibus & proceribus, ac Chriſtianis uniuerſis, nos morigeros & officioſos præſtare ex animo cupimus. Id quod tandem Deus, quantaslibet nunc calumniarum nebulas filij tenebrarum offundant, orbi etiam patefaciet, utq; ſolet, ſicut ueritatem ſuam, ita noſtram quoque innocentiam in lucẽ proferet. Cui ad hoc ipſum hac Confeſſionis, Apologiæq; noſtræ æditione ſeruire uoluimus, neminem uero inhumanius attingere, nedum aſpergere cõuicijs, quàmlibet ipſi à Confutatoribus immanibus calumnijs & conuicijs proſciſſi atq; dilacerati ſimus. Memores enim cuius cauſſam agimus, Apologiam noſtram minime dentatam eſſe curauimus. Veritate nanq; hiſce in rebus, non conuicijs, uictoria conſtat. Tum etiam noſtrum eſt, eius quæ in nobis eſt ſpei, rationem reddere cum manſuetudine, & timore, ut D. Petrus docuit. Hæc uero æditio ſi cui intempeſtiua uidebitur, hunc precamur, de hoc pronunciare tantiſper differat, donec lecta Apologia noſtra, cognouerit, quibus modis non nos, id enim poterat utcunq; ferri, ſed ipſa ſacroſancta Chriſti dogmata Confutatores illi petierint, tractarintq;

Apologia huius confeſſionis.

rintq̃. Scimus profecto neminem esse, cui religio cordi est, cuiq̃ adest spiritus Christi, qui ut cognouerit, quemadmodum illi in ueritatem debacchati sunt, non immi nutæ maiestatis Dei, teneri nos affirmaturus fuerit, si ad tantam, tamq̃ immanem criminationẽ tacuissemus. Christus ueritas ipsa, & pax nostra, donet, ut in ipso, profligato omni errore impietateq̃, certam eius religionem amplexi, unũ euadamus, perpetua felicique inter nos concordia uicturi.

AMEN

CONFESSIO

NIS. CAPITA.

EXORDIVM, IN QVO EXPONITVR QVA ratione, quaq; ſpe confeſſio exhibita ſit.

De materia concionum Cap. I
De ſacroſancta Trinitate, myſterioq; incarnati Chriſti. Cap. II
De iuſtificatione & fide. Cap. III
De bonis operibus ex fide per dilectionem prouenientibus. Cap. IIII
Cui bona opera adſcribenda & quàm neceſſaria. Cap. V
De Chriſtiani hominis officijs. Cap. VI
De precibus atq; ieiunijs. Cap. VII
De ieiuniorum præceptis. Cap. VIII
De delectu ciborum Cap. IX
Nullum eſſe quærendum in precibus & ieiunijs meritum. Cap. X
Vnum Deum inuocandum per Chriſtum. Cap. XI
De Monachatu. Cap. XII
De officio, dignitate, & poteſtate miniſtrorum in Eccleſia. Cap. XIII
De traditionibus humanis. Cap. XIIII
De Eccleſia. Cap. XV
De Sacramentis. Cap. XVI
De Baptiſmo. Cap. XVII
De Euchariſtia. Cap. XVIII.
De Miſſa. Cap. XIX
De Confeſſione Cap. XX
De cantionibus & precibus eccleſiaſticorum. Cap. XXI
De ſtatuis & imaginibus. Cap. XXII
De Magiſtratibus. Cap. XXIII
Peroratio in qua petitur Concilium, & ratio componendi huius diſſidij exponitur.

CONFESSIO

QVATVOR CIVITATVM, Argentorati, Constantiæ, Memmingæ, & Lindauiæ, qua Sacratissimæ Cæsareæ Maiestati, Fidem suam in Comitijs Augustanis exposuerunt.

EXORDIVM.

IVSSIT SACRATISSIMA Maiestas tua, Potentissime simul ac Clementissime Cæsar, ut ordines, statusq; sacri Imperij, quantum cuiusq; interfit, & quisq; ad tranquillãdam ecclesiam Christi facturum speraverit, suam de religione, pariter & erroribus ac uitijs, quæ contra illam irrepserunt sententiam, in literas utraq; lingua, Latina & Germana, relatam sibi offerat, sic discuti endam, examinandamq;, quo illa uiam & rationem commodius inueniat, synceram Christo doctrinam, in suum locum restituendi, erroribus uniuersis abolitis. Huic iussioni natæ ex consilio, non tam religioso, rebusq; ecclesiæ profuturo, quàm incomparabilem illam clemẽtiam, atq; humanitatem, qua se Sacratissima Maiestas tua, toti iam orbi amabilem reddidit, resipienti atq; exhibenti, morem gerere, ut par est, gestimus. Nam aliud nihil hisce in rebus unquam quæsiuimus, quàm ut abrogatis, quę sacrosanctis

Euangelijs, Christiq; præceptis aduersantur, cum nobis, tum alijs omnibus, qui Christo nomen dederunt, puram eius doctrinam, quę sola uiuifica est, sectari liceat. Proinde precamur, & quàm supplicissime Sacratissimam Maiestatem tuam rogamus, eo in nos animo, quæ adferemus ad teddẽdam eius quæ in nobis est spei rationem, audire & expendere dignetur, ut de quibus nihil addubitet, id nobis ante omnia in uotis esse, unicumq; spectari, quo primũ Deo conditori nostro, & reparatori Christo, deinde tuæ quoq; Sacratissimæ Maiestati gratificemur, dictoq; audientes nos præstemus, nec alio consilio aut spe, doctrinam à uulgari usu nõnihil uariantẽ, amplexos esse, quàm quod persuasi, sic à nobis exigere eum qui nos finxit ac refinxit, polliciti nobis quoq; simus, idq; propter illam eximiã laudem, qua iam pridem apud nos, religionis, pietatis & iustitiæ nominibus, mirum in modum celebraris, forè tandem, ut ueritatem de omnibus quæ nos dudum nomine doctrinæ Christi, syncerioriscq; religionis recepimus edocta, institutum nostrum plane probes, interq; eos nos numeres, qui optima sibi fide obtemperare studuerunt. Neq; enim patiebatur cantatissimum illud Sacratissimæ Maiestatis tuæ in ueritatem & æquitatem studium, tum ardens illa in Deum pietas, uel suspicari te, nobis nondum auditis, quicquam præiudicati contra nos allaturum, minúsue beneuole & attente auditurum, uel cum nos audisses, nostraq; religiosa tecum expensione librasses, non statim adflante suum spiritum Deo, quo ille alijs in rebus Sacratissimam Maiestatem tuam duxit tam fœliciter, animaduersurũ, ipsissima nos Christi dogmata esse sequutos.

DE MATERIA CONCIONVM. CAP. I.

Primum

PRimum igitur cum hinc fermè decennio, Christi doctrina, singulari Dei beneficio paulo certius & luculentius quàm antea, passim per Germaniã tractari cœpisset, & hinc ut alibi, ita & apud nos, plæraq; religionis nostræ dogmata inter eruditos, & eos maxime, qui docẽdi Christum in ecclesijs locum obtinebant, publicitus iam, & indies grauius controuerterentur, indeq; ut necesse erat, Satana uidelicet suum quoq; negociũ, agente, uulgus pugnantibus concionibus admodũ periculose scinderetur, consyderantes quod Diuus Paulus scribit, Scripturam diuinitus inspiratã, utilem esse ad docendũ, ad hoc, ut ubi peccatum sit, deprehendatur, ut corrigatur, ut iustitia quisq; formetur, quo Dei homo absolutus euadat, iam ad omne opus bonũ appositus, urgẽte etiã nos, omnemq; morã rescindẽte, cũ metu numinis, tũ certo Reipublicæ nostrę periculo, tandem mandauimus ijs, qui concionandi apud nos munere fungebantur, ut nihil aliud quàm quæ sacris literis aut continentur, aut certe nituntur, è suggestu docerent. Videbatur namq; nobis haud indignũ, eõ in illo tanto discrimine confugere, quo confugerũt olim & semper, non solum sanctissimi patres, Episcopi, & Principes, sed quilibet etiam priuati, nempe ad authoritatem scripturæ arcanæ. Ad quam nobiliores Thessalonicensium, auditũ Christi Euangelium explorasse, Diuus Lucas cum laude illorum memorat, in qua Paulus summo studio uersari suum Timotheum uoluit, sine cuius authoritate, nulli Pontifices suis decretis obedientiam, nulli patres suis scriptis fidem, nulli denicq; Principes suis legibus authoritatẽ unq; postularunt, ex qua demum ducendas sacras conciones, & magnum Sacri Imperij concilium Nurembergæ, anno Christi M. D. XXIII. celebratum sanciuit. Si enim uerum Diuus Paulus testatus est, per diuinã scripturã hominem Dei penitus absolui, atq; ad omne opus bonum instrui, nihil poterit is ueritatis Christianæ, nihil doctrinæ saluta-

ris desyderare, scripturam qui consulere religiose studeat.

DE SACROSANCTA TRINITATE, MYSTERIOQ; incarnati Christi. Cap. II.

EX hac igitur cum sacræ apud nos conciones ducerentur, ablegatis pernicios is contentionibus, ñ mox quibus aliquod pietatis studium erat, Christi doctrinã & certius consequuti sunt, & uita exprimere feruentius cœperunt, sicut reuocati ab ijs, quæ dogmatis Christi male assuta sunt, ita in ijs confirmati, quæ illis existunt cõsentanea. Inter quæ illa sunt, quæ Christi ecclesia de sacrosancta tria de hactenus credidit, nempe unum esse substãtia Deum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ, nec ullum quàm personarum discrimen recipere. Seruatorem quoq; nostrum Iesum Christum, eundem uerum Deum, etiam uerum hominem factum, naturis quidem impermixtis, at ità in eadem persona unitis, ut in omnia secula nunq; rursus soluantur. Nec in ijs quicq; uariarunt, quæ ecclesia ex sacrosanctis Euangelijs docta, credit de seruatore nostro Iesu Christo, ex spiritu sancto concepto, dein ex diua uirgine Maria nato, demumq; postq; euangeliçandi munere defunctus erat, in cruce mortuo, ac sepulto, quiq; ad inferna descendit, & à mortuis tertio die in immortalem uitam reuocatus, cũq; hanc destinatis ad hoc testibus, uarijs argumentis comprobasset, in cœlos ad dexterã patris euectus est, unde eum expectamus iudicem uiuorum & mortuorum. Interim agnoscimus eum nihilominus ecclesiæ suæ, usq; ad consummationem seculi præsentem, hanc instaurare, sanctificare, & tanq; unice dilectam sponsam, omnigenis uirtutũ decoris exornare. In his quoniã nihil à patribus, nihil à cõmuni Christianoq; consensu uariamus, satis fore credimus, hunc in modũ nos fidẽ nostrã esse testatos.

De iusti

DE IVSTIFICATIONE ET FIDE. CAP. III.

CIrca ea autem, quæ de ratione, qua redemptionis per Christũ factæ, participes reddimur, doceri uulgo solent, deq; officijs hominis Christiani, uariare nonnihil à receptis pridem dogmatis, nostri cœperũt. In his quæ nos secuti sumus, Sacratissimę Maiestati tuæ quàm simplicissime exponere, & simul ea scripturæ loca, quibus huc compulsi sumus, bona fide indicare studebimus. Primum igitur cum iam aliquot annis, ad iustificationem hominis, requiri propria eius opera traditum sit, nostri hãc totam diuinæ beneuolentiæ, Christiq; merito acceptam referendã, solaq; fide percipi docuerunt. Quo inter cætera scripturæ loca, hæc illos mouerunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, aut uolũtate carnis, aut uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt, Ioh. i. Amen amen dico uobis, nisi quis renatus fuerit ex integro, non potest uidere regnum Dei. Iohan. 3. Nemo nouit filium nisi pater, & cui uoluerit filius reuelare. Matt. 11. Beatus es Simon Bar Iona, caro & sanguis non reuelauit tibi. Matth. 16. Nemo potest ad me uenire, nisi pater meus traxerit eum. Iohan. 6. Gratia seruati estis per fidem, & id non ex uobis, Dei istud donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum, conditi in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus, Eph. 2. Etenim cum nostra iustitia, & uita æterna, sit Deũ & seruatorem nostrum Iesum Christum agnouisse, & id adeo carnis & sanguinis opus esse nequeat, ut renasci ad hoc de integro oporteat, nec possimus ad filium, nisi trahente patre peruenire, nec patrem nisi reuelãte filio discere, & tam diserte Paulus scripserit, non ex nobis, non ex

operibus, satis liquet, nostra opera ad hoc, ut iusti ex iniustis, quales nascimur, euadamus, nihil posse cõferre, quippe qui ut natura filij iræ, eoq; iniusti sumus, ita nihil iustũ, aut Deo gratum designare ualemus, sed initiũ omnis nostræ & iustitię & salutis, à miserente Deo fieri oportere, qui ex sola sua dignatione, & mortis filij sui contemplatione, primum doctrinam ueritatis, & Euangeliũ suum, missis qui illud annũcient, offert: deinde cum homo animalis, haud possit, ut Paulus inquit, percipere quę Dei sunt. 1. Corinth. 2. facit simul oriri in tenebris cordis nostri, suæ lucis radium, ut iam habere annunciato Euangelio fidem, superno scilicet spiritu de eius ueritate persuasi, moxq; Deũ, huius spiritus testimonio freti, filiali fiducia inuocare, & dicere Abba pater, ualeamus, salutem inde solidam consecuturi, iuxta illud: Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

DE BONIS OPERIBVS, EX FIDE PER DILECTIONEM prouenientibus. Cap. IIII.

NOlumus autem hæc sic intelligi, quasi salutem ac iustitiam in ignauis animi cogitationibus, fide & charitate destituta, quã informẽ uocãt, ponamus: quandoquidem certi sumus, neminẽ iustum aut saluũ fieri posse, nisi amet summe Deum, & imitetur studiosissime. Nam quos præsciuit, eosdem & præfiniuit, conformes fieri imagini filij sui, sane sicut in gloria uitæ beatæ, ita & in cultu innocentiæ, consummataeq; iustitiæ, figmentum enim ipsius sumus, conditi ad bona opera. Atqui Deũ ante omnia amare, dignoq; studio emulari, nisi qui eum plane nouerit, & de quo sibi quæq; optima polliceatur, potest nemo. Iustificari ergo, hoc est, ut iusti, ita salui euadere, iustitia enim, ipsa nostra salus est, aliter prorsus nequimus, quam si fide

cum

cum primis donemur, qua Euangelio credentes, eoq; persuasi, Deum nos in filios adoptasse, paternamq; beneuolentiam in sempiternũ nobis exhibiturũ esse, toti ab ipsius nutu pendeamus. Hanc fidem uocat D. August. libro de fide & operibus, Euangelicã, efficacem uidelicet per dilectionem. Hac demum regeneramur, & restituitur in nobis imago Dei. Hac cum peruersi nati sumus, nostris cogitationibus à puero ad malum tantum pronis, euadimus boni, rectiq;. Nam hinc uno Deo fonte bonorũ perenni, copioseq; effluo, ipsi abunde saturi, mox alijs nos deos quosdam, id est, germanos Dei filios, per dilectionem illorum cõmodis pro uitili studentes, exhibemus. Etenim qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & ex Deo natus est, totus nouo, ac simul ueteri præcepto de dilectione mutua deditus. Et hæc dilectio, totius legis impletio est, dicente Paulo: Tota lex in uno uerbo completur, nempe hoc: Diliges proximũ tuum ut teipsum, Gal. 5. Nam quicquid lex Dei tradit, huc spectat, hoc unũ requirit, ut tandẽ ad Dei imaginẽ solidã reformemur, per omnia boni, usi busq; hominũ & expositi, & accõmodati, id quod plane fieri nequit, nisi simul omni uirtutũ genere simus ornati. Quis enim ad uerã ecclesiæ ædificationẽ, omniũq; solidã utilitatẽ, hoc est, iuxta legẽ Dei, & in gloriã Dei omnia instituat & perficiat, id quod est munus Christiani. 1. Cor. 10. nisi ordine & recte singula, & cogitet, & dicat, & gerat, ha beatq; ideo uniuersum uirtutũ chorũ plane domesticum.

CVI BONA OPERA ADSCRIBENDA, & quàm necessaria. Cap. V.

ATuero cum spiritu Christi aguntur, qui filij Dei sunt, potius quam agãt, Ro. 8. & ex illo, & per illum, & in illum sunt omnia, Rom. 11. non debẽt alij quam huic ipsi spiritui

ſpiritui omniũ uirtutum largitori uni tranſcribi, quęcunq; pie, rectęq; geſſerimus. Vtcunq; ille nos nequaq; cogat, uerum ducat uolentes, efficiens nimirum in nobis, & uelle, & operari. Phil. 2. Vnde ſcite Diuus Auguſtinus ſcripſit, ſua in nobis Deum opera remunerare. His bona opera, tam non reiicimus, ut prorſus negemus quenq; plene poſſe ſaluum fieri, niſi huc per ſpiritum Chriſti euaſerit, ut nihil iam bonorum operum in eo deſyderetur, ad quæ quidem Deus illum condidit. Sumus enim diuerſa eiuſdem corporis membra, unde nec eadem ſinguli officia habemus. 1. Corinth. 12. Legem ſiquidem impleri adeo neceſſe eſt, ut cœlum & terra citius tranſitura ſint, quàm poſſit ex illa iota unũ, uel minimus apiculus remitti. Quia tamen Deus ſolus bonus eſt, & ex nihilo omnia condidit, noſq; ſpiritu ſuo penitus nouos facit, agitq; totos, in Chriſto enim nõ niſi noua creatura ualet, nihil poteſt horum adſcribi uiribus humanis, fateriq; oportet, omnia eſſe Dei nobis ultro, nec ullo noſtro merito fauẽtis, & beneuoli mera dona. Ex his iam cognoſci abũde poteſt, quid credamus iuſtificationem eſſe, per quem nobis contingere, quaq; demum ratione à nobis percipi, tum quibus nam ſcripturis, ut ita credamus, ſimus adducti. Tametſi enim ex plurimis paucas citauimus, ex his paucis tamẽ, cuiuis uel mediocriter in ſcripturis uerſato, ſatis ſuperq; manifeſtum eſt, huius generis ſententias, quibus nobis nihil niſi peccatũ & perditio, ut Hoſea inquit, Domino autem omnis noſtra & iuſtitia & ſalus tribuitur, legentibus illas paſſim occurrere.

Lib. Arbitriũ

DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIIS. Cap. VI.

IAm & illud obſcurum eſſe haud poterit, quæ nam ſint Chriſtiani hominis officia, quibuſq; actionibus potiſſimum intentum eſſe conueniat. Hiſce nempe omnibus, quibus

quibus proximis suis, quisq; pro se cõmodare queat. Primum quidem ad uitam æternam, ut & illi cognoscere, colere, & reuereri Deum incipiant, dein etiam ad præsentẽ, ne quid desyderent rerum, quas corporis quoq; necessitas poscit. Quemadmodum enim uniuersa lex Dei, quæ totius iustitiæ absolutissima præceptio est, in hoc uno dicto, Diliges proximum tuum sicut teipsum, summatur Ro. 13. ita in huiusmodi dilectionis præstatione, omnem summari & absolui iustitiam necesse est. Vnde inter Christiani hominis munera, nihil omnino numerandũ est, quod non momentum aliquod, rationibus proximi adferat, & hoc sane amplius quodq; opus ex officio Christiani fuerit, quo plus ex eo utilitatis ad proximos peruenerit. Eapropter, post functiones ecclesiasticas, inter præcipua Christiani hominis officia ponimus, administrationẽ Reipub. administrantibus eam esse morigeros, nam hæc ad publicam utilitatem referunt, curam quæ impenditur uxori, liberis, atq; familiæ, honorem qui exhibetur parentibus, quod sine his uita hominum consistere nequeat, bonarum deniq; artium, omniumq; honestarum disciplinarum professiones, quod absq; harum cultu maximis, & humano generi propriis bonis destitui necesse sit. In his tamẽ, & quibusuis alijs humanę uitę munijs, nihil cuiquã temere arripiendũ est, sed religiose uidendum, quo uocet Deus. Id demum cuiusq; officium fuerit, hoc autem præstabilius, quo maioré hominibus cõmoditatem attulerit.

DE PRECIBVS ATQVE IEIVNIIS. Cap. VII.

PRecationes uero & religiosa ieiunia, actiones nihilominus sanctissimas, quæq; Christianos plurimum deceant, habemus, ad quas Ecclesiastæ nostri diligentissime auditores suos inhortantur. Verum namq; ieiunium,

Quid ieiuniũ & precatio.

quasi quædam uitæ præsentis, & malis cupiditatibus semper obnoxiæ, abdicario, & futuræ, perturbationumq; libertæ, meditatio est. Precatio autem, animi in Deum subuectio, taleq; cum illo colloquium, ut nulla alia res, cœlestibus affectibus tantopere incendat, & ad Dei uoluntatem mentem potentius cõformet. Quamlibet aũt sanctæ, & Christianis necessariæ istę functiones sunt, cum tamen illis non tam seruitur proximo, quàm paratur homo, ut cum fructu seruire proximo queat, sanctæ doctrinæ, prisq; hortamentis, & monitionibus, tum etiam alijs officijs, à quibus statim proximus aliquid precipit commodi, præferendæ nõ sunt. Vnde de seruatore legimus, quod noctu precationi, die aũt doctrinæ & sanandis ęgrotis, operam dederit. Vt enim dilectio fide & spe maior est, ita quæ proxime hanc referunt, certam nimirum hominibus utilatatẽ adferentia, cunctis alijs sacris functionibus, anteponenda credimus. Vnde D. Chrysostomus scripsit, ieiunium in choro uirtutum, ultimum locum sortiri.

1. Cor. 13.

Mat. hom. 48.

DE IEIVNIORVM PRAECEPTIS. Cap. VIII.

AT uero quoniam rite atq; cum fructu, uel precari, uel ieiunare, nullæ nisi ardentiores, & superno afflatu peculiariter incitatæ mentes, possunt, credimus præstare exemplo Apostolorum ac superioris purioriscq; ecclesiæ, sanctis exhortationibus ad hæc inuitare, quàm ea extorquere præceptis, ijs præsertim, quæ peccatis obligant, id quod sibi permiserunt posteriores, cum iam ordo sacerdotũ haud

parum

patum degeneraſſet. Sic & locum, tempus, modum, tum precãdi, tum ieiunandi, malumus ſancto ſpiritui, ſine quo rite nec precari, nec ieiunare quiſquã poteſt, arbitranda relinquere, quàm certis præſcribere legibus, maxime quas ſine piaculo transgredi non liceat. Propter iuniores ramẽ & imperfectiores, certum ad pręcandum & ieiunandum tempus, modumq; conſtitui, quo ad hęc uelut ſanctis progymnaſmatis pręparentur, noſtri haudquaquam improbant, ſi modo id fiat citra obſtrictionem conſcientiæ. In hanc uero ſententiam, præterquàm quod cum natura harum actionum, omnis ingrata compulſio pugnet, id nos deduxit, quod nec Chriſtus ipſe, nec Apoſtoli, huiuſcemodi præceptorum uſquã meminerunt. Quod & D. Chryſoſtomus, teſtatur: Vides inquit, quia uita recta, magis omnibus cæteris iuuat. Rectam autem uitam appello, nõ ieiunandi laborem, nec cilicij aut cineris lectulum, ſed ſi pecuniam non aliter quàm oporteat, deſpicias, ſi charitate ardeas, fameſcentes pane tuo nutrias, ſi ſuperior ira ſis, ſi gloriam inanem non concupiſcas, ſi inuidia non detineatis. Hæc enim ipſius documenta ſunt. Etenim non dicit ieiunium ſuum iſte imitandum, quamuis quadraginta illos dies poſſit proponere, ſed diſcite à me, quoniam mitis ſum & humilis corde. Imo uero contra, omne, inquit, quod apponitur uobis edite. Sed nec ueteri populo ullum ſolemne & ſtatum, præter unius diei ieiunium, indictum legimus. Nam quę à Prophetis & regibus inſtituta ſcriptura teſtatur, conſtat non fuiſſe ſtata, ſed ſuo tantum tempore indicta, cum id certæ ſcilicet calamitates, nel imminentes, uel iam prementes, poſcerent. Quandoquidem igitur ſcriptura, ut D. Paulus diſerte affirmat, omni bono opere inſtruit, ignorat autem hæc præceptis extorta ieiunia, non uidemus, qui Apoſtolorũ ſucceſſoribus licere potuerit, tanto eccleſiam, tamq; periculoſo onere grauare.

Mat. hom. 48.

Chriſtus non iubet 40. dies ieiunare.

Certe Ireneus testatur, olim uariam & liberam fuisse ieiuniorum apud Ecclesias obseruationem, uti legitur lib. Ecclesiast. hist. octauo, cap. 14. In eodem libro meminit Eusebius, quendam Apollonium scriptorem ecclesiasticum inter cætera, etiam hoc argumento Montani hæretici doctrinam confutasse, quod primus ieiuniorum leges imposuerit. Adeo putabat istuc sanam Christi doctrinam profitentibus indignum. Inde Chrysostomus alicubi ait: Honestum ieiunium, sed nemo cogatur: Et alibi non potentem ieiunare hortatur, ut abstineat à delitijs, idq; adfirmat haud magno à ieiunio interuallo distare, ualidúmq; esse telum ad reprimendum furoré diaboli. Adhæc, ipsa quoq; experientia plus nimio comprobat, ista ieiuniorum præcepta, pietati plurimum obfuisse. Vt igitur satis constare nobis uisum est, proceres ecclesiæ hanc potestatem, ieiunia sic indicendi, ut peccati conscientias obstringerent, præter scripturæ authoritatem sumpsisse, ita solui conscientias hisce laqueis permisimus, sed per scripturas, maxime autem Paulinas, quæ hæc mundi elementa à Christianorum ceruicibus, singulari studio submouent. Neq; enim leue apud nos momentum, habere debuit illud Pauli: Ne quis igitur uos iudicet de cibo aut potu, aut delectu diei festi, aut nouilunij, aut sabbathorum. Et rursus: Itaq; si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam uiuentes decretis tenemini? Si etenim D. Paulus, quo nemo unquam Christum certius docuit, in eam nos libertatem rerum externarum, per Christum adsertos contendit, ut non modo nulli creaturæ ius permittat, eos, qui Christo credunt, uel illis quidem ritibus & obseruationibus, grauandi, quos tamen eus ipse instituit, & suo tempore prodesse quoq; uoluit, sed etiam denunciat à Christo excidisse, factúmq; eis Christũ ociosum, qui se his addici patiantur, quid iam putamus sentiendũ sit de præceptionibus, quas non solum citra omne oraculum,

Ecclesiast. hist.

Col 2.

culum, uerum etiam absque ullo imitabili exemplo, ex se homines commenti sunt, quæq; ideo nō egena tantum & infirma, sed noxia etiam, non elementa, hoc est, sacræ disciplinæ rudimenta, sed omnis ueræ pietatis impedimenta plurimis fuere? Quanto iniustius erit, quenquam sibi hanc potestatem in Christi cletum sumere, ut huiusmodi eum seruitute premat, quantumq; à Christo nos remotiores fecerit, si illis nos subiecerimus? Quis enim non uideat gloriam Christi, cui nos decet totos uiuere, quos ille sibi, idq; sanguine suo, totos redemit, uindicauitq;, plus obscurari, si præter eius authoritatem, iis legibus conscientiam nostram obstringimus, quæ inuenta hominum sunt, quàm quæ authorem habent Deum, etiamsi suo duntaxat tempore seruandæ? Minus profecto est iudaizare, quàm ethnizare. Ethnicorum autem est, leges colendi Deum recipere, quæ inconsulto Deo, ex humano tantum ingenio profectæ sunt. Quare si uspiam alibi, hic certe locum habet illud D. pauli. Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. 1. Cor. 7.

DE DELECTV CIBORVM. Cap. IX.

HAc eadem de caussa, remissus est & delectus ille cibo rum in certos dies indictus, quem D. Paulus doctrinæ demoniorum attribuit, scribens Timotheo. Nec firmum est, quod hæc quidam in solos Manichæos, Encratitas, Tatianos, & Marcionitas dicta contendunt, qui in totum aliquibus ciborum generibus, & nuptijs interdixe runt. Apostolus damnauit hoc loco eos, qui iubent abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum &c̄. Iam qui etiam in certos duntaxat dies, cibos aliquos sumere prohibent, ij iubent nihilominus abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum, dæmoniorumq; doctrinæ affi-

nes exiſtunt, id quod ex cauſſa quoq; liquet, quàm Apoſtolus ſubiecit, Nam quicquid, inquit, creauit Deus, bonũ eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione ſumitur, Nulla ſiquidem tempora excipit, quamuis frugalitati, temporantiæ, ac etiam ſelectis carnis caſtigationibus, iuſtiſq; ieiunijs nemo illo impenſius fauerit. Seruanda ſane eſt Chriſtiano frugalitas, ſed iugis, caſtiganda nonnunquam caro, imminuto ſolito dimenſo, ſed ad id ciborum uilitas, moduſq; potius, quàm ſpecies aliquid conferet. Iuſtum denicq; ieiunium, identidem ſuſcipere Chriſtianos conuenit, ſed quod non certorum, uerum omnium ciborum, nec horum tantum, ſed ſimul deliciarum uitæ huius quarumlibet, abſtinentia ſit. Quale enim hoc ieiunium, quæ abſtinentia, ſpeciem tantum mutare lautitiatum, id quod etiam qui hodie religioſiores habentur, ſolent, cum D. Chryſoſtomus non agnoſcat eſſe ieiunium, ſi in totum etiam ſine cibis, & ad ueſperã uſq; permaneamus, niſi cum abſtinentia ciborũ, à noxijs quoq; continentiam exhibeamus, & circa ſpiritualium rerum ſtudium, multũ ocij impendamus.

NVLLVM ESSE QVAERENDVM IN PRECIBVS & ieiunijs meritum. Cap. X.

DEinde & hoc eccleſiaſtæ noſtri circa ieiunia & preces emendandũ docuerunt, quod uulgo homines doceri ſolent, neſcio quid meriti & iuſtificatiõis, hiſce ſibi actionibus quærere. Gratia enim per fidem ſicut ſalui, ita & iuſti reddimur. Et de operibus legis, inter quæ & preces & ieiunia numerantur, ſic ſcripſit Paulus: Chriſtus uobis factus
Gal. 5 eſt ocioſus, quicunq; per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Nos enim ſpiritu & fide, ſpem iuſtitiæ expectamus. Precandum igitur eſt, ſed ut à Deo accipiamus, non ut illi

hinc

hinc quicquam conferamus. Ieiunandum ut precemur expeditius, carnemq; in officio contineamus, non ut apud Deum aliquid nobis mereamur. Hunc solum finē, usumq; precum & ieiuniorū, & scriptura, & Patrum cum scripta, tum exempla præscribunt. Ad hæc sic res nostræ habent, ut si etiam tanta cum religione precari & ieiunare posse-mus, demum omnia quæcunq; Deus nobis iniunxit, perficere, ut amplius nihil à nobis requiri posset, quod hactenus nemo mortalium unquam præstitit, adhuc tamen fateri oporteret, nos seruos esse inutiles. Quid igitur nobis meriti fingemus?

VNVM DEVM INVOCANDVM PER Cristum. Cap. XI.

REiectus est & alius circa hæc abusus, quod quidā precibus & ieiunijs, Deiparam quoq; uirginē Mariam, aliosq; diuos sic demereri uolunt, ut per eorum intercessionem & merita, cum animæ, tum corporis malis liberētur, bonisq; omne genus cumulentur. Docent enim nostri cōcionatores, unicum Patrem in cœlis per Christū unicum mediatorem inuocare, orareq; omnia, qui ut ipse testatus est, nihil nobis denegabit, quod fide modo ipsum, & in nomine Christi orauerimus. Cum itaq; Paulus, unū hunc hominem Iesum Christum, Dei & hominum mediatorē prædicet, & nemo nostri amantior esse possit, nemo item apud Patrem plus ualere, hortari nostri solent, hoc uno apud patrem conciliatore & intercessore satis habere. Dei autem parentem sacratissimā uirginem Mariam, diuosq; omnes, iubent summo studio colere, sed quod tum demum præstaturi simus, cum ijs rebus, quæ ipsis cum primis cordi sunt, studuerimus, nempe innocentię & pietati,

1. Tim. 2.

quarum illi nobis tam egregia exempla prætulerũt. Cum enim Deum ex toto corde, tota anima, omnibusq; uiribus Diui omnes amant, haud est quod illis gratius præstemus, quàm ut pariter cum eis Deum, quàm ardentissi, me & diligamus, & emulemur. Meritis enim suis illi, nec propriam salutem adscribunt, nedum nos per ea iuuare, unquam in animum inducunt. Singuli cum hic agerent cum Paulo dicebant. Vitam autem quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Si iam ipsi gratiæ Dei, & redemptioni Iesu Christi, omnia accepta retulerunt, nulla re magis eis gratificabimur, quàm si & nos hisce præsidijs nitamur.

DE MONA-

CHATV. Cap. XII.

EAdem uero causa, quod omnis nostra iustificatio cõstat fide in Iesum Christum, unde libertas nobis facta est rerum externarum omnium, monachatus quoq; uincula laxari apud nos permisimus. Videbamus enim hanc à D. Paulo Christianorum libertatem ubiq; grauiter uindicari, qua quisq; pro se certus ab uno Christo Iesu domino nostro, omnem iustitiam & salutem petendam, certus etiam rebus uitæ huius quibuslibet, semper sicut in utilitatem proximorum, ita in gloriã Dei utendum esse, se & sua omnia, sancto Christi spiritui, uerę adoptionis & libertatis largitori, arbitranda, moderanda, & cum in usus proximorum, tum gloriæ Dei illustrationem, instituenda, exhibendãq;, libere permittat. Hanc cum libertatẽ retinemus, præstamus nos seruos Christi, cum hominibus eam prodimus, ipsorum nos inuentis addicentes, à Christo ad homines, uelut fugitiui deficimus. Id quod hoc magis impie facimus, quo minus nos uulgari precio

Christus

Christus sui iuris fecit, qui nos sibi ab exitiabili satanę seruitute sanguine suo uindicauit. Et hæc causa est, cur D. Paulus scribens Galatis, tanto pere detestatus sit, quod illi ceremonijs legis, licet diuinæ, se addixissent, cum id tamen quod & supra ostendimus, multo excusatius esset, quàm earum se iugo permittere, quas ex se confinxerunt homines. Scripsit enim, & ex uero, qui ceremoniarum illarum iugum admisissent, eos aspernari gratiam Dei, mortemq; Christi pro nihilo habere. Et inde ait se metuere, ne frustra erga eos laborauerit, hortaturq;, ut in libertate, qua eos Christus liberasset, stare uelint, neq; rursus iugo seruitutis implicari. Iam constat monachatum nihil aliud esse q̄ seruitutem humanarum traditionum, & plane huiusmodi, qualem nominatim Paulus, locis quos adduximus, damnauit. Omnino enim qui monachatū profitentur, inuentis illis hominum spe meritorum sese deuouent. Vnde tantum piaculum faciunt, ab illis se ad Christi libertatem recipere. Proinde cum tam corpus quàm spiritus nostet Dei sint, idq; duplici nomine, conditionis & redemptionis, haud potest Christianis licere se monasticæ isti seruituti mancipare, multo minus quàm seruis prophanis, suos mutare dominos. Ad hæc, inficiari non potest, per huiusmodi mancipationem & uota uiuendi mandatis hominum, necessitatem, ut semper solet, induci transgrediendi legem Dei. Lex siquidem Dei requirit, ut Christianus, magistratui, parētibus, propinquis, ac alijs quibuslibet, quos illi Deus proximos fecerit, & ei iuuandos adduxerit, pro uirili inseruiat, quocunq; id in loco, aut tēpore, modóue usus illorum poposcerit. Tum illud uiuendi genus amplectatur, quo rationibus proximorum præcipue consulere ualeat, nec cœlibatum deligat, nisi datum sit propter regnum cœlorum, hoc est, causa promouendæ pietatis, gloriæq; Dei, seipsum castrare, matrimonio abdicato. Nam stat edictum illud Dei per Paulum promulgatum,

1. Cor. 6

Mat. 15

tum, quod nulla hominũ uota possunt reddere irritum: Propter stupra uitanda, quisq; (neminem excipit) suam uxorem habeat, & unaquæq; suum maritum. Neq; enim capiunt omnes uerbum illud, de cœlibatu propter regnũ cœlorum suscipiendo, ut testatur Christus ipse, quo nemo, uel quid ualeat ingenium humanum, uel quid placeat Patri, & nouit certius, & tradidit fide meliore. Iam palam est uotis illis monasticis, certo hominũ generi sic mancipari eos, qui illa suscipiunt, ut iam nec magistratui, nec parentibus, nec ullis hominibus (uno cœnobiarcha excepto) morigeros & officiosos se prestare, aut facultatibus suis subuenire liceat, minus omnium uero uxorem ducere, etiam si quàm maxime urantur, & ideo in quæuis uitæ dedecora, necessario prolabantur. Cum itaque perspicuum sit, uota ista monastica hominem seruitute Christi solutum, seruituri non tam hominum, quàm Satanæ obnoxium facere, transgrediendiq; legem Dei necessitatem quandam, uti omnium humanarum traditionum natura est, inferre, ac ideo apertè cum iussis Dei pugnare, merito credimus ea irritanda esse, quando non scripta solum, sed & naturæ lex rescindendam fidem iubeat, si seruata bonis moribus officiat, nedum religioni. Proinde nemini obsistere potuimus, qui uitam monasticam, indubitatam iam Satanæ seruitutem, cum Christiana mutare uoluisset. Sicut nec alijs ex ordine ecclesiastico, qui ductis uxoribus, genus uitæ amplexi sunt, à quo proximis plus commodi, maiorq; uitæ honestas, quàm ab eo in quo erant, expectari potest. Denique nec eos qui apud nos, in uerbi Dei ministerio, perseuerarũt, arcere à iure coniugij, quicquid castitatis uouerint, ob memoratas causas, nobis permisimus, cum diuus Paulus præcipuus uetæ castitatis assertor, Episcopum quoque recipiat maritum. Iure etenim omnibus humanis legibus, hanc unam diuinam, propter stupra uitanda, unusquisque suam habeat

beat uxorem &c. antepoſuimus. Quę certe lex, quod reiecta tam diu fuit, omnia, quamuis infanda libidinis genera (honos ſit auribus S. M. tuæ optime Cæſar) nimis quàm horrende in ordinem eccleſiaſticum inundarunt, adeo, ut nullum ſit hodie mortalium genus, hoc nomine magis abominabile.

DE OFFICIO
DIGNITATE, ET POTESTATE miniſtrorum in Eccleſia. Cap. XIII.

DE miniſterio & dignitate ordinis eccleſiaſtici, docetur apud nos, primum, non eſſe in Eccleſia poteſtatē niſi ad ædificationem. 2. Cor. 12
Deinde neminem huius ordinis aliter debere æſtimari, quàm Paulus ſe, Petrū, Appollo & ſimiles æſtimari uoluit, nimirum ut Chriſti miniſtros, & œconomos myſteriorum Dei, à quibus hoc præcipue requiri cōueniat, ut fidus quiſq; reperiatur. Hi claues habent regni cœlorū, ligādi & ſoluendi, peccata remittēdi & retinendi poteſtatem, ſic tamē, ut nihil niſi Chriſti miniſtri ſint, cuius hoc ius ſolius & propriū eſt. Vt enim unus eſt q̄ poteſt innouare animos, ita ſolus quoq; eſt, q̄ ſua uirtute, cœlos hominibus reſerat, peccatisq; ſoluit. Quod utrunq; nobis tum demum contingit, cum datur animis innouari, habereq; iam noſtrū πολίτευμα in cœlis. Miniſtrorum partes ſunt, uerbo plantare & rigare, quod utrunq; per ſe nihil efficit, qui incrementum dat, Deus eſt. 1. Cor. 3
Ex ſe enim nemo idoneus eſt quicquā huiuſmodi cogitare, tanquā ex ſe. Verum quod idoneus quis ad hęc fuerit, id ex Deo eſt, qui quos uult facit miniſtros noui fœderis, ut homines de Chriſto rite perſuaſos, huius uere participes reddant, nec mortuam literam, hoc eſt, doctrinam quæ foris tantum perſtrepit, animum uero non immutat, ſed ſpiritum ſimul uiuificantem, corq; renouātem, adminiſtrent.

2. Cor. 3 Et ſic demum cooperatiꝫ Dei ſunt, cœlũ uere aperiunt, peccata remittunt. Hinc eſt quod Chriſtus, cum hanc poteſtatem Apoſtolis traderet, flauit in eos, dixitq́, Accipite ſpiritum ſanctum: & tum quidẽ ſubiecit, Quorumcũq; remiſeritis peccata illis remittuntur. Eſſe itaq; miſſos diuinitus (quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur) hoc eſt, facultatem & animum annunciandi Euangeliꝫ, paſcendiq́ gregem Chriſti, tum cooperãtem, hoc eſt, perſuadentem cordibus, ſpiritum accepiſſe, id demũ idoneos riteq́ unctos Eccleſiæ miniſtros, Epiſcopos, Doctores & paſtores conſtituit. Reliquæ uirtutes, quibus huius ordinis homines ornatos eſſe addecet, enumerat D. Paulus. Ad hunc itaq; modum, qui miſſi, uncti, ornatiq́ ſedulam gregis dominici gefferint curam, & paſcendo illum bona fide laborauerint, epiſcoporum, presbyterorum, & paſtorum numero habendos, dupliciq́ honore dignos agnoſcimus, quorumq́ iuſſa, quiuis Chriſtianus, ſumma promptitudine capeſſere debeat. Qui aũt diuerſis rebus dediti ſunt, diuerſo itẽ ipſi ſe loco collocant, & nomine inſigniũt. Nullius tamen uita ſic offendere debet, ut ſi ẽ Moſe, uel Chriſti cathedra, hoc eſt, ex lege uel Euãgelio quid dixerit, id amplectendum ſibi Chriſtiani dubitent. Aliena uero ſi qui adferant, eſt ouiũ Chriſti, talium uocem non audire. In prophanis autem rebus qui poteſtatem acceperunt, ut à Deo illa ordinata eſt, ita Dei ordinationi reſiſteret, qui his nollet eſſe dicto audiens, in ijs rebus quæ cum iuſſis Dei non pugnant. Calumnia igitur eſt, quod noſtros quidam criminantur, eccleſiaſticorũ iuriſdictionem labefactare. Quã enim hi temporariam habent, ea nunq́ per noſtros impedita eſt. Spiritualem uerò, qua uerbo Dei cõſcientias expedire, & Euangelio Chriſti fideliter paſcere debent, ſæpe imploratuerunt, tam abeſt ut ei unquã reſtitiſſent. Quod autẽ eccleſiaſtarum quorũdam doctrinam nõ ſuſtinuimus, & pro noſtra neceſſitate alios in horum locũ ſubſtituimus,

Rom. 10

1. Tim. 3. Tit. 1

Ioan. 10

aut

aut certe per episcoporum præfectos exautoratos retinuimus, in causſa fuit, quod hi, pastoris nostri uocem pure annunciarunt, illi autẽ, alienorum. Etenim cum uentũ est ad negocium Euangelij & doctrinę sanæ, cõuerti totos oportet ad episcopum animarum nostrarum Iesum Christum, & alienorum uocem neutiquã admittere, quicunq; Christo uere credimus. In eo nemini fieri iniuria potest, siquidẽ uera sunt illa Pauli: Omnia nanq; uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue prẽsentia, siue futura. Omnia nanq; uestra sunt, uos autem Christi, Christus uero Dei. Certe si Petrus & Paulus cum toto mundo hactenus nostri sunt, nos uero haud quaquam illorum, sed Christi, & quidem sicut ille patris, nẽpe ut ipsi uni uiuamus quanti sumus, in hoc quibuslibet tanquã nostris utentes, nemo sane ecclesiasticorũ iure de nobis, quasi parum ipsi obtemperemus, queri poterit, dum constiterit Dei nos uolũtatem sequi. Hæc apud nos de officio, dignitate & authoritate ministrorum ecclesiæ docentur, quibus ut fidem haberemus, loca scripturæ quæ adduximus, & his similia nos persuaserunt. 1. Cor. 3

DE TRADITIONIBVS HVMANIS. Cap. XIIII.

PRotro de traditionibus patrum, quásue hodie episcopi & ecclesiæ sanciunt, sic habet nostrorum sententia. Nullas traditiones inter humanas, eas quidẽ, quæ in scripturis damnantur, numerant, nisi quæ cum lege Dei pugnant, quales sunt, quæ de cibo, potu, tẽpore, alijsq; rebus externis, conscientiam obstringunt, quæ matrimonio, ijs quibus illo ad honeste uiuendum opus est, interdicunt, & huius farinæ reliqua. Nam quę cum scriptura consonant, & ad bonos mores, utilitatemq; hominum institutæ sunt, tametsi in scripturis ad uerbum expressæ non sint, nihilominus.

minus cum ex præcepto dilectionis, quæ omnia quàm decentissime instituit, dimanãt, diuinæ potius quàm humanæ, merito habentur. Huius ordinis erant illa Pauli, ne mulieres apertis capitibus, uiri obuelatis orarent in Ecclesia, ut communicaturi seinuicem expectarent. Ne quis linguis in cœtu loqueretur sine interprete, ut Prophetæ citra cõfusionem, prophetias suas in medium adferrent, à sedentibus dijudicandis. Tales multas sane ecclesia hodie iure obseruat, & pro occasione quoq; condit nouas, quas qui reiecerit, is non hominum, sed Dei, cuius traditio est, quæcunq; utilis est, authoritatem contemnit. Quicquid enim uerum, uel dicitur, uel scribitur, illo donante dicitur & scribitur, qui est ipsa ueritas, ut diuus Augustinus pie scripsit. De eo autem sæpe disputari solet, quæ traditio prosit, quæ secus, hoc est, quæ pietatem promoueat, quę remoretur. Sed qui nihil sui quęsierit, atq; utilitati publicæ se penitus consecrauerit, is nullo negocio uidebit, quænam legi Dei respondeant, quæ minus. Porro cum Christianorum res sic habeant, ut & iniurijs iuuentur, ne iniquis quidem legibus, contabitur parere Christianus, modo nihil iubeant impium, iuxta illud Christi: Si quis te adegerit ad miliarium unum, ito cum eo duo. Sic certe Christianus omnia omnibus fieri debet, ut nihil non in gratiam & usum hominum, & pati & facere studeat, quod modo Dei iussis non aduersetur. Hinc fit ut ciuilibus legibus, quæ cũ pietate nõ pugnant, eo quisq; pareat promptius, quo fide Christi fuerit imbutus plenius.

1. Co. 12

1. Cor. 14

DE ECCLESIA.

Caput XV.

IAm quid de Ecclesia & sacramẽtis sentiamus, exponendum. Ecclesia itaq; Christi, quæ subinde regnũ cœlorũ appellatur, est eorum societas, qui Christo nomen dederunt,

runt, fideiq; eius se totos cõmiserunt, quibus tamen ad fi-
nem usq; mundi admixti erũt, qui fidem Christi simulãt,
non uere habent. Id Dominus abunde docuit parabo-
zizaniorum. Item rhetis quod in mare iactum, putres cũ Mat. 13
bonis pisces attrahit. Tum parabola regis, qui ad nuptias
filij sui quoslibet uocari, & postea carentẽ ueste nuptiali, Mat. 22
eiici rursus nihilominus iubet. Porro cum Ecclesia spon
sa Christi prędicatur, pro qua ille semetipsum exposuit, ut Ephe. 5
sanctificaret eam. Item cum domus Dei, columna & sta
bilimentum ueritatis, Mons Sion, Ciuitas Dei uiuentis, 1. Tim. 3.
Hierusalem cœlestis, Ecclesia primogenitorum, qui con- Heb. 12
scripti sunt in cœlis. Hę laudes, ijs tantum competunt, qui
quod solide in Christum credunt, uere locum inter filios
Dei nacti sunt. In his cũ uere regnet seruator, proprie eius
Ecclesia & sanctorũ κοινωνία. i. societas, ut in symbolo Apo
stolorum uocabulũ Ecclesiæ expositum est, nominatur.
Hanc regit Spiritussanctus, huic Christus nunq; abest, sed
sanctificat, ut eam sibi tandem exhibeat, non habentem
maculã aut rugam. Hanc denicq; qui audire non sustinue-
rit, ut Ethnicus habendus est atq; publicanus. Hęc quanq;
id, unde habet quod uere Ecclesia Christi sit, nempe fides
in Christum, uideri nequeat, ipsa uideri tamẽ, planeq; ex
fructibus cognosci potest. Horum fructuum prącipui sunt
animosa ueritatis confessio, syncera omnibusq; exposita
dilectio, & fortis rerum omniũ præ Christo cõtemptus.
Quæ utiq; abesse nequeunt, ubi Euangeliũ, sacramentaq;
eius pure obtinẽt. Prąterea cũ Ecclesia regnũq; Dei sit, atq;
ideo cuncta in eo optimo ordine geri necesse sit, habet ua
ria ministrorũ munera. Corpus siquidẽ est ex uarijs mem
bris, quibus singulis sui actus sunt, cõpactum. Et hi dũ suo
ministerio bona fide funguntur, in uerbo & doctrina gnaui
ter laborantes, Ecclesiã uere repręsentant, ut qui eos audie
rit, recte dicatur audisse Ecclesiã. Verũ quòd istos spiritu agi,
quaq; facultate prędictos esse oporteat, superius cum fidem

noſtram de miniſterio eccleſiæ exponeremus, memorauimus, fideiq; hac in re noſtræ rationem reddidimus. Nequeunt enim uicem eccleſiæ Chriſti gerere, qui docent quæ Chriſti mandatis pugnant. Id tamen fieri poteſt, & ſæpe fit, ut & mali in nomine Chriſti prophetent, eccleſiæq; ſententiam adferant. At qui à dogmatis Chriſti aliena proponunt, etiamſi intra eccleſiam ſint, quia tamen errore præoccupati, paſtoris uocem nequaq; ſonant, eccleſiá, ſponſam nimirũ Chriſti, repreſentare nõ poſſunt. Quare nec eius nomine audiẽdi ſunt. Alienam ſiquidem uocem oues Chriſti non ſequũtur. Hæc noſtri docent de eccleſia, quæ citatis locis, & ſimilibus nituntur.

DE SACRAMENTIS. Caput XVI.

POrro quod Eccleſia hic in carne, & ſi non ſecundum carnem agit, uiſum eſt Domino, illam externo quoq; uerbo docere, monere, & hortari, quoq; id cõmodius fieret, uoluit ſuos externã etiam inter ſe ſocietatẽ colere. Qua de cauſſa & ſacra Symbola, quæ ſacramẽta uocamus, illis dedit. Inter quæ præcipua ſunt, Baptiſma, & Euchariſtia. Hæc credimus ueteribus ſacramenta dicta, non ſolum q; ſunt inuiſibilis gratiæ, uiſibilia ſigna (ut diui Auguſtini uerba habent) ſed etiam q; his quaſi fidei profeſſio fiat.

DE BAPTISMO Caput XVII.

DE Baptiſmate itaq; confitemur, id quod paſſim ſcriptura de illo prædicat. Eo ſepeliri nos in mortẽ Chriſti, Coagmentari in unum corpus, Chriſtum induere, Eſſe lauacrum regenerationis, Peccata abluere, Nos ſaluare. Hæc uero omnia ſic intelligimus, ut ea D. Petrus interpre-

Ro. 6. 1. Co. 12. Gal. 3. Tit. 3. Act. 22. 1 Pe. 3.

tatus

intelligimus, ut ea D. Petrus interpretatus est, cum ait, Cuius figuræ nunc respondens baptisma, nos quoq; saluos reddit, non depositio sordiũ in carne, sed conscientiæ bonæ in Deum professio. Absq; fide enim impossibile est placere Deo, & gratia seruamur, nõ nostris operibus. Cum autẽ baptisma sit sacramentum fœderis, quod Deus cum suis icit, pollicitus se illorum, & seminis eorum, Deum ac uindicem futurum, et illos ut suum populum habiturum, symbolum deniq; sit renouationis spiritus, quæ per Christum fit, infantibus quoq; illud conferendum nostri docent, non minus quám sub Mose olim circuncidebantur. Nos enim uere filij Abrahæ sumus. Quare non minus ad nos, quàm ueteres illa pertinet promissio: Ero Deus tuus & seminis tui. Gal. 3.

DE EVCHARISTIA. Cap. XVIII.

DE hoc uenerando corporis & sanguinis Christi sacramento, omnia quæ de illo Euangelistæ, Paulus & sancti Patres scripta reliquerũt, nostri fide optima docent, cõmendant, inculcant. Indeq; singulari studio hanc Christi in suos bonitatem, semper depredicant, qua is non minus hodie, quàm in nouissima illa cœna, omnibus qui inter illius discipulos ex animo nomẽ dederunt, cum hanc cœnam, ut ipse instituit repetunt, uerum suum corpus, uerumq; suum sanguinem, uere edendum & bibendum, in cibum potumq; animarũ, quo illæ in æternam uitam alantur, dare per sacramenta dignatur, ut iam ipse in illis, & illi in ipso uiuant et permaneant, in die nouissimo, in nouam et immortalẽ uitã per ipsum resuscitandi, iuxta sua illa æternæ ueritatis uerba: Accipite & manducate, hoc est corpus meum &c̃. Bibite ex eo omnes, hic calix est sanguis meus &c̃. Præcipua uero diligentia populi animos, nostri eccle-

siastæ ab omni tum contentione, tum superuacanea & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solũ prodest, solumq; à Christo seruatore nostro spectatum est, nempe ut ipso pasti, in ipso & per ipsum uiuamus, uitam Deo placitam, sanctam, & ideo perennem quoq; & beatã, simusq; inter nos omnes unus panis, unũ corpus, qui de uno pane in sacra cœna participamus. Quo sane factum est, ut diuina sacramenta, sacrosancta Christi cœna, quàm religiosissime, reuerentiaq; singulari apud nos & administrentur, & sumantur. Ex his quæ uere ad hunc modum se habent, agnoscit S. T. M. clementissime Cæsar, quàm falso ab aduersarijs nostris iactetur nostros uerba Christi immutare, & humanis glossis cõcerpere, nec nisi merum panem merumq; uinum in nostris cœnis administrari, ipsamq; adeo Domini cœnam apud nos contemptam esse atq; reiectam. Nam summo nostri studio semper docent & hortantur, ut simplici quisq; fide, hæc Domini uerba, reiectis uniuersis hominũ cõmentis falsisq; glossis, amplectatur, eorumq; sententiæ, omni submota uacillatione, animum addicat, ipsa denig; sacramenta, in uiuificam animarũ suarum alimoniam, & gratam tanti beneficij cõmemorationem, identidem, quanta possit religione sumat. Id quod multo quoq; iam & sæpius, & religiosius apud nos, quàm antea, fieri solet. Simul aũt obtulerunt se nostri ecclesiastæ hactenus semper, & hodie se offerunt ad reddendã, omni cum modestia, & ueritate, rationẽ fidei & doctrinę suæ, de omnibus quæ tam circa hoc sacramentũ, quã alia credunt ac docent. Idq; nõ solũ S. T. M. sed cuiuis etiã poscenti.

DE MISSA.

Caput. XIX.

POrro cum hunc in modũ Christus suam cœnam, quæ postea Missa uocari cœpit, instituerit, nempe ut in ea fideles corpore & sanguine eius in uitam æternam pasti

mortẽ

mortẽ eius qua redempti sunt, deprędicent, ipsi hoc pacto gratias agentes, & hãc salutem aliis quoq; cõmendantes, non potuerunt nostri ecclesiastæ nõ damnare, quod hæc passim negliguntur, & contra qui Missas celebrant, præsumunt Christum Patri offerre pro uiuis & defunctis, Missamq; tale opus faciunt, quo solo ferè fauor Dei et salus cõparetur, quicquid uel credant homines, uel uiuant. Vnde & pudenda illa ac bis tercq; impia sacri huius nundinatio irrepsit, factumq; est, ut nihil sit hodie Missa quæstiosius. Priuatas itaq; Missas reiecerũt, propterea quod Dominus in commune, discipulis hoc sacramentũ commendauit. Vnde & Paulus Corinthios iubet se inuicẽ ad. S. cœnam expectare, negatq; eos agitare cœnam dominicã, cum propriam unusquisq; cœnam inter edendum occupat. Porro quod illi se Christum offerre uice hostię iactant, hinc nostri damnarunt, quod Epistola ad Heb. aperte testatur, sicut homines semel moriuntur, ita Christum semel oblatũ esse, ut multorũ peccata tolleret, tamq; nõ posse iterum offerri, quàm nõ mori amplius. Eoq; una prò peccatis uictima perfecta, perpetuo sedere eũ ad dextrã Dei, id quod superest expectantẽ, donec inimici eius ceu scabellũ subijciantur pedibus eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Id uero quod Missam bonũ opus fecerunt, quo à Deo quiduis impetretur, cum eo pugnare nostri docuerũt, quod scriptura ubiq; predicat nos spiritu Christi & per fidem iustificari, fauorẽ Dei percipere, de quo scripturarũ testimonia superius adducta sunt. Sic quod mors Domini in Missa populo non commendatur, declararunt esse aduersum ei, quod hæc Christus sacramenta sumere iussit in sui commemorationem, & Paulus, ut annuncietur mors Christi, donec ueniat. Quod uero iam à multis, sine omni pietatis studio, tantum alendi corporis caussa, uulgo Missæ celebrantur, id demonstrarunt nostri, tam esse execrabile Deo,

1. Cor. 11.

Heb. 9.

Heb. 10.

ut si Missa per se pietati nihil aduersaretur, merito tamẽ, &
Esa. 1. iussu Dei tollenda esset. Id quod uel ex solo Esaia liquet. Spiritus enim & ueritas est Deus noster, eoq; nõ nisi in spiritu ac ueritate coli sustinet. Quàm aũt molesta sit Domino, inuecta circa hæc sacramenta, tam importuna cauponatio, & hinc monuerunt conñciendum esse, quod Christus tam sæue, & plane præter morem suum, externa sibi uindicatione sumpta, templo eiecit uendentes & ementes, cum ñ tantum ad promouenda sacrificia, quæ ex lege fiebant, uiderentur negociari. Tot itaq; modis, cum ritus Missæ uulgo celebrari solitæ, scripturę Dei aduersetur, sicut & modis omnibus diuersus est ab eo, quem sancti Patres obseruarunt, damnatus est apud nos è suggestu admodũ grauiter, sicq; uerbo Dei detestabilis factus, ut eum multi ultro reliquerint, alñ, dum magistratus authoritate abrogatus est. Id quod nobis nulla alia causa permisimus, quàm quod in omni scriptura, spiritus Dei nihil sic detestetur, & tam serio tolli præcipiat, atq; cõmentitium falsumq; sui cultũ. Iam nemo qui religione aliquo modo tenetur, ignorat, quám sit timenti Deum inæuitabilis indicta necessitas, cum persuasus est Deum quippiam exigere. Etenim ut laturi multi essent à nobis circa Missæ ritum tam sacrosanctum aliquid nouari, facile quiuis præuidebat, nec erant, qui non maluissent, hic non solum. T. S. M. sed ne quemuis imi subsellñ principem offendere. Verum cum simul non dubitarent, uulgato illo Missæ ritu, tantopere irritari Deum, eiusq; gloriam, pro qua etiam uita ponenda est, obscurari, non potuerunt illum non submouere, ne & ipsi se imminutę gloriæ Dei se obligarent conniuendo. Vtiq; si amandus & colendus est Deus supra omnes, nihil minus ferendum pijs, quàm quod ille abominatur. Hanc uero unam causam extorsisse nobis, ut circa hæc immutare quædam auderemus, testem citamus eum, quem nullum secretum latet.

De con-

DE CONFESSIONE. Caput. XX.

CVm uero & quę ex pietate ſuſcipitur peccatorum confeſſio, à nemine pręſtari queat, quem huc non ſua impulerit pœnitudo, uerusq; animi dolor, haud poterit ea extorqueri præcepto. Quare nec Chriſtus ipſe, nec Apoſtoli illam præcipere uoluerunt. Hac ergo de cauſſa, hortantur noſtri Eccleſiaſtæ ad confitendum peccata, & fructum eius, quod quis apud uirum Chriſtianum ac prudentem, ſecreto ſibi conſolationem, conſilium, doctrinam & exhortationem quærat, oſtendunt, præceptis urgent neminem, ſed & pietati iſtiuſmodi præcepta officere affirmant. Nam innumeras animas illa de peccatis ſacerdoti confitendis cõſtitutio, in grauem deſperationem adegit, totq; alijs uitijs obnoxia eſt, ut pridem abrogari debuerit, & indubie abrogata fuiſſet, ſi eo zelo ad ſubmouenda offendicula, præſides Eccleſiarum proximis ſęculis arſiſſent, quo arſit olim D. Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui ſecretam confeſſionẽ, in ſua Eccleſia ſuſtulit, propterea q; nobilis quædam mulier deprehenſa eſſet, cum templum frequentius adiret, tanquã pœnitentiæ operibus uacatura, cum diacono crebrius concubuiſſe. Huiuſmodi certe flagitia innumera paſſim admiſſa ſunt. Adhęc requirunt pontificum leges, talẽ confeſſionis auſcultatorem & arbitrum, tam ſanctũ, doctum, prudentẽ, miſericordem, ut pauciſſimis poſſit cui confiteantur cõtingere, inter eos maxime qui uulgo audiendis confeſſionibus deputantur. Iam cenſent & ſcholaſtici Theologi, præſtare laico peccata cõfiteri, q; ei ſacerdoti à quo non ſit expectanda pietatis ædificatio. Summa eſt, quam confeſſionẽ non ſolida pœnitentia & uerus animi dolor ob peccata expreſſerit, ea plus damni quàm cõmodi dabit. Cum ergo unus Deus dare poſſit, ut nos peccatorum

D. Neſtorius

pœniteat, uereq; doleat peccasse, nihil poterit hac in re, quod salutare sit, præceptis effici, id quod hactenus ipsa experientia plus satis manifestũ fecit.

DE CANTIONIBUS & precibus Ecclesiasticorũ. Ca. XXI.

EAdem uero ex caussa, ne scilicet ad Dei offensam, quæ prætextu cultus eius fieret, qua nulla ipsi grauior, conniueretur, & in cãtionibus ac precibus ecclesiasticorũ, nostri pleraq; dãnarunt. Has enĩ à prima patrũ cõstitutione, usuq; degenerasse abunde cõstat. Nemo siquidẽ cui uetera scripta pspecta sunt, ignorat, morẽ illis fuisse, pauculos psalmos cũ capitulo aliquo scripturæ grauiter recitare, simul & enarrare, cum nunc multum quidẽ psalmorũ, sed fere absq; mente decantatur, & ex scripturę lectione initia duntaxat capitulorũ supersunt, innumera autem inuicem assumpta, quę superstitioni potius quã pietati seruiũt. Primũ itaque illud nostri detestati sunt, quod sacris precibus & cantionibus, haud pauca quæ scripturis aduersantur, admixta sunt, ut quibus diuis tribuuntur, quę soli Christo competunt, nẽpe peccatis, alijsq; incõmodis liberare, fauorem Dei, omneq; genus bonorum non tam impetrare, quàm donare. Deinde quod sic in immensum auctę sunt, ut attẽto animo cani recitariue nequeant. Iam nihil q̃ Dei irrisio est, quicquid sine mente cũ eo geritur. Postremo q̃ facta sunt & hæc meritoria opera, uendiq; solẽt haud patuo, ut interim taceatur, q̃ contra expressum spiritus sancti pręceptum, in ea omnia dicuntur & canuntur lingua, quã non solum populus nõ intelligit, sed nonnunquã ne ipsi quidem, qui ex illis cantionibus & precibus uiuunt.

DE STATVIS ET IMAGINIBVS. Cap. XXII.

Etin

ET in ſtatuas deniq; atq; imagines, noſtri ſactas oratio nes ſtrinxerunt, eo potiſſimum, quod aperte coli & adorari cœperunt, inanesq; ſumptus in eas fieri, qui eſurienti & ſitienti, & nudo Chriſto debebantur, quod deniq; & cultu illarum ſumptuq́, quamlibet cum uerbo Dei pugnante, merita apud Deum quærunt. Huic religionis uitio obiecerunt etiam priſcæ authoritatem Eccleſiæ, cui nimirum abominabile fuit, ullam uel pictam uel ſculptam in templo imaginem uidere, id quod abunde uel factum Epiphanij epiſcopi Salaminæ Cypri, quod de ſe ipſe teſtatur, comprobat. Cum enim uidiſſet in uelo cuiuſdam Eccleſiæ, imaginem depictam Chriſti, uel ſancti cuiuſdã (ſcribit enim ſe non bene meminiſſe) tanta ſuccenſus indignatione fuit, quod cõtra authoritatẽ ſcripturarũ, fidem & religionem noſtrã, ut ſcribit, uidiſſet hominis imaginem in Eccleſia pendere, ut extemplo uelum ruperit, iuſſeritq́ eo pauperem aliquẽ mortuũ inuoluere. Hanc epiſtolã, qua hic uir Dei, hoc de ſe teſtatur ſcribens ad Ioannem epiſcopum Hieroſolymitanum, D. Hieronymus ut orthodoxã in Latinam linguã tranſtulit, nec uerbo quidem hanc Epiphanij de imaginibus ſententiam ut minus probam notauit. Ex qua re illud ſatis colligitur, nec ipſum D. Hieronymum, nec epiſcopum Hieroſolymitanum, ad quem ſcribebat, aliud de imaginibus ſenſiſſe. Etenim quod dici ſolet, ſtatuis & imaginibus rudiores doceri et moneri, haud quaquam ad id ſufficiet, ut imagines & ſtatuæ ferri debeant, præſertim ubi à uulgo adorantur. Rudior erat populus uetus, adeo ut plurimis illum ceremonijs inſtitui oportuerit, attamen imagines huc conducere, ut docerent, & monerent rudiores, tam non agnouit Deus, ut habere illas cum primis uetuerit. Et ſi dicatur uetuiſſe Deum habere imagines quæ colerentur, ſtatim conſequitur, cum omnes adorari pridem cœperint, iam uel propter offendiculum è templis ſubmouendas eſſe uniuerſas

uersas. Sunt enim in Ecclesia omnia instituenda, ad certã ædificationẽ, nedum aliquid ferendũ, quod queat occasionem dare ruinæ, nihil uero adferre cõmodi. Præterea quod de admonendo obijci solet, D. Athanasius confutans Athanasius Gẽtes, eadem caussatione sua idola defendentes, sic reijcit: Dicant quæso, quo pacto per simulachra noscatur Deus? an per circumpositam illis materiam? an per inductam materiæ formam? Si ob materiam, quę iam formæ necessitas, ut non prius etiam quàm ista fingerentur, per omnem prorsus materiam apparuerit Deus, cum omnia testentur gloriam suam. Porro, si superducta effigies diuinæ cognitionis caussa est, quid iam pictura cęteraq; materia opus est, ac non magis per ipsa uera animalia, quorum formæ simulachra sunt, Deus cognoscitur? Nam clarius profecto Dei gloria innotesceret, si per animata rationabilia & irrationabilia, quàm per inanimata atq; immobilia manifestaretur. Cum ergo intelligendi Dei gratia sculptis aut fingitis imagines, rem profecto minime dignam Lactantius facitis. Hæc ille. Lactantius quoq; multa contra hunc præ textum lib. 2. diui. institu. disseruit. Omnino enim ei, qui Dei admoneri cum fructu potest, præter adhortationis uerbum, ipsa Dei uiua ueraq; opera huc longe efficacius conducent, uanis illis simulachris, quæ parant homines. Hanc cum suam esse sententiã de imaginibus, Deus tot scripturæ locis abunde testatus sit, haud cõueniet nos homines, per eas quærere utilitatem, à quibus Deus uitare periculum iussit, maxime cum ipsi quoq; experti simus, quantopere pietati officiant. Per se quidem liberum esse usum imaginum & nostri fatentur, sed quantumuis libet sit, Christiano spectandum est, quid expediat, quid ædificet, & eo loci, eaq; ratione imaginibus uti, ut nemini obijciat offendiculum, Paulus enim & carnem & uinum sibi in omnem uitam interdici paratus erat, si id aliorum saluti quouis modo obstare cognouisset.

De Ma-

DE MAGISTRATIBVS Cap. XXIII.

IN superioribus exposuimus nostros ecclesiastas obedientiæ, quæ exhibetur magistratibus, inter primi ordinis bona opera locũ dedisse, & docere hoc unumquemq; studiosius sese accommodare publicis legibus, quo synceriot fuerit Christianus, fideq; ditior. Iuxta docent, fungi magistratu munus esse Sacratiss. quod quidẽ homini diuinitus cõtingere possit. Vnde & factum sit, quod qui gerunt publicam potestatem, Dij in scripturis uocentur. Cum enim hi recte & ordine munus suum obeũt, & doctrina & uita in populo rite habent, eo quod sic Deus res nostras moderari soleat, ut ab ijs qui rerum potiuntur, pendeat ex bona parte subditorum & salus & pernicies. Quapropter nulli dignius magistratibus funguntur, quàm qui sunt omniũ Christianissimi & sanctissimi. Vnde proculdubio id accidit, quod à pientiss. olim Cæsaribus & Regibus, Episcopi alijq; ecclesiastici uiri ad externam rerum gubernationem protracti sunt. Qua in re cum illi religiosi & prudentes fuerint, hoc solum peccatũ est, quod ad dignam utriusq; muneris administrationem, sufficere haud quaquàm potuerunt, & oportuit, aut uerbo regendis ecclesijs, aut imperio gubernandæ R. Pub. deesse.

PERORATIO.

HÆc sunt inuictissime ac Religiosissime Cæsar præcipua, in quibus nostri à uulgata ecclesiasticorum doctrina, sola scripturarũ authoritate, omnibus alijs traditionibus merito anteponenda, adacti, non nihil recesserunt. Ea. S. M. T. sic ut à nobis hoc breui tempore fieri potuit, exposita, in hoc afferre uolumus, ut & fidei nostræ rationem, tibi quem secundum Deum in primis suspicimus, ac colimus, redderemus, & simul ostenderemus quàm necesse sit matutæ & serio de uia & ratione cõsultare, qua res tanti momenti,

menti hoc pacto cognoſci, expendi, ac diſcuti queat, uti primũ obſeruantia Dei, in cuius negotio ſummo utiq; cũ timore & tremore uerſandum eſt, requirit deinde dignũ eſt S. M. T. quę religionis ac clementiæ nomine tantopere celebratur, deniq; ipſa poſcit ratio pacis eius, quã S. M. T. molitur, certæ ſcilicet & ſolidę, quæ cum circa fidẽ & religionẽ diſſidium ſit, aliter parari haud poterit, quã animis ante omnia de ueritate plane edoctis. Porro ad id nihil forſan opus fuerat nos quoq; hiſce de rebus tã multa me-
SAXO. morare, cum Illuſtriſs. Prin. Elector Saxonum, & alij quæ in ſacra noſtra religione hodie cõtrouertuntur, S. M. T. copioſe admodũ & ſolide expoſuerint. At quia S. M. T. ſententiam de religione, ab omnibus, quorũ hoc negotij intereſt, exponi ſibi poſtulauit, exiſtimauimus & noſtri officij eſſe, quæ apud nos docentur S. M. tuæ cõfiteri. Quanquã hæc res tã late pateat, tamq; multa cõplectatur, ut etiã quæ utrimq; expoſuimus, pauciora adhuc, & ſuccinctius quoq; explicata ſunt, q̃ ut ſperemus ex eis certũ in hiſce cõtrouerſijs, quod q̃ nõ omnibus, ſed bonæ ſaltẽ parti Chriſtiani populi approbetur, in præſentiarũ conſtitui poſſe. Ea eſt nimirũ ueritati ſubſcribentiũ paucitas. Cum ſit itaq; negociũ hoc tanti momenti, tamq; uarium & multiplex, nec poſſit cũ fructu decidi, niſi ſit à pluribus probe cognitũ & excuſſum, oramus. S. M. T. & quã ſuppliciſſime per Deum & ſeruatorẽ noſtrum, cuius gloriã proculdubio imprimis quærit, obſecramus, ut generale, liberũ, uereq; Chriſtianum Concilium indici quã primũ curet, quod hactenus ad cõponendas res Eccleſiæ, cũ ipſi S. M. T. tum alijs S. imperij Principibus, adeo neceſſariũ uiſum eſt, ut in omnibus ferè Imperij cõuentibus, qui poſt exortũ hoc de religione diſſidiũ, habiti ſunt, & S. M. T. cõmiſſarij, & alij Imperij Principes, palã teſtati ſint, nulla alia uia hiſce in rebus, q̃d ſalutiferũ ſit, poſſe cõfici. Vnde in proximis Spiræ habitis comitijs, ſpem S. M. T. fecit, Pontificẽ Rom. nõ repugnaturũ, quo minus maturæ tale Conciliũ celebretur. Porro ſi generalis Concilij, nequeat in tempore obtineri opportuni

tas, saltē Doctorū cuiusq; ordinis & status, prouinciale, quē uocāt cōuentū, S.M.T. instituat, quē libere tutoq; omnes, quos adesse retulerit, queāt adire, singuli audiri, & per huiusmodi uitos, cuncta expendi & iudicari, quos constet Dei timore præditos, illius gloria nihil prius habere. Neq; enim in obscuro est, qua olim grauitate, quaq; diligentia, cū Imperatores, tum Episcopi in decidendis fidei controuersijs, quæ tamē sepe multo minoris momenti erant, quā quæ modo Germaniā cōmouent, sese habuerint, ut haud quaquā indignum se duxerint, eadē iterum ac tertio in disquisitionē uocare. Iā qui consyderauerit, ut modo res habent, is dubitare haud poterit, hodie maiore fide, grauitate, mansuetudiñe, & dexteritate, ad id, ut Christi religio in suum locū restituatur, opus esse, quā antea unquā. Siquidē penes nos Veritas est, quod indubitato credimus, quanto quæso tempore & labore opus fuerit, ut eā cognoscant & bi, sine quorū consensu, aut saltē tollerantia, pax solida parari nō poterit? Sin erramus, à quo abesse nos nihil ambigimus, rursus haud ignauā diligentiā, nec breue tempus, res poscet, ut in uiam reuocentur tot hominū millia. Quā diligentiā, & tempus insumere S.M.T. tam nō dedecebit, quàm par est te eius erga nos animū exhibere, cuius nobis uice imperas, Iesu Christi nostri omniū seruatoris. Qui cū hoc animo uenerit quęrere, & saluū facere quod perierat, ut pro restituendis, qui erant perditi, mortē etiam oppetierit, nō est ut S. M. T. graueť etiamsi indubitato credat, nos à ueritate excidisse, nonaginta nouē oues in deserto relinquere, & centesimā quęrere, inq; Christi caulam reducere, hoc est, quęuis alia huic negocio posthabere, ut nobis quā libet paucis & humilibus, Christi sensus de singulis, quæ modo cōtrouertunť, ex scripturis dilucide, & certo exponatur, Nos certe dociles erimus, aberit omnis peruicatia, modo uocē audire liceat pastoris nostri Iesu Christi, & scripturis, quæ docent quicquid bonū est, ad quę uocabimur, omnia nitantur. Etenim si contingeret, docendi nos cura

reiecta, cõpendia queri edictorũ, quod dum res in manu T. S. M, fuerint, haud quaquã metuimus, dici non poteſt, in quas anguſtias, innumera hominũ millia adducerẽtur, quos nimirũ perſuaſos, Deum in primis audiendum, tum quæ ſequuntur dogmata indubitatis oraculis Dei niti, iſtę Seruatoris uoces, nunquã non percellunt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Qui perdiderit animã ſuam, inueniet eam, Qui non oderit patrem, matrẽ. &c. ac etiam ſuam ipſius animã, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Quem puduerit mei coram peruerſa et adultera hac natione, eius me pudebit coram patre meo & angelis eius. Et ſimiles. His ſanè tonitruis exagitati, minime pauci, animoſe extrema ſubirent, multos mortis metus differret quidẽ, ſed in occaſionem, ſi imperio priuſq; doctrina, ui antea quàm indicatione erroris, cũ eis hoc in negotio ageretur. Quid enim ualeat ſolidior de religione perſuaſio, quamq; faciat non rerũ modo, ſed & uitæ prodigos, uel hoc decennio, ut ſuperiora ſecula taceamus, ſatis ſuperq; in quàm plurimis uiſum eſt, qui nõ exilia tantum, & proſcriptiones uerum etiam uincula, cruciatus, et mortẽ ipſam potius ſuſceperunt, quàm ut à ſententia quàm conceperant, quamq; ueram eſſe crediderant, auelli ſe ſuſtinuiſſent. Si iam cum diffidium eſt de rebus illis leuioribus, paucos inuenias, quos in certam quis cõcordiam redegerit, niſi de iure uel æquitate conditionũ perſuaſos, quomodo cũ de religione diſſenſio ſit, ueram pacẽ, rerumq; minime dubiã tranquillitatem, quàm ſcilicet S. T. M. conſtituere querit, expectabimus, niſi utrimq; quæ probet Deus, quæ congruant ſcripturis, conſtiterit? Quemadmodum enim religio iure moreq; Gentium rebus alijs omnibus antefertur, ita nulla quoq; mortalium inter ſe dimicatio uehementior, duriorq; eſſe conſueuit, quàm quæ pro aris & numinibus ſuſcipitur. Sed nos cum S. M. T. tam indicibili in hoſtes ſuos, & eos quidẽ, qui nihil hoſtilitatis, ut alia taceamus, prætermiſerũt, uſa clementia eſt, merito ſpem de eo optimam

mã concepimus, omnia & in hoc negocio sic attemperaturã, ut multo amplius in nobis, salutis & honoris tui studiosissimis (quod re ipsa testati sumus, & testari amplius ex animo cupimus) bonitatis & humanitatis laudẽ quæsisse uideatur. Nã omnia in hac caussa sic attẽperauimus, ut bonis quibuslibet satis declarauerimus, nunquã nobis animũ fuisse quenquã ledendi, aut nostra cõmoda aliorũ incommodis aucupandi. Pericula sane hac caussa subiuimus, & sumptus ingẽtes fecimus, lucri uero ne tantillum quidẽ, uno hoc excepto, quod de bonitate Deiper Christum exhibita melius edocti, futura (gratia Deo) cœperimus sperare certius. Id uero iure tanti nobis est, ut nihil adhuc dignum eo, cũ inæstimabile sit & rebus omnibus, quæ uel cœlum uel terra habet, anteferendum, nos uel feciſſe uel pertuliſſe putemus. Eccleſiaſticorũ certe opibus, tam abeſt ut inhiauerimus, quod tumultuãtibus agricolis, maximis impendijs & periculis, illas ipſis defenderimus. Euangeliũ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ita ipſe nos amet, unum id eſt, quod nos urget, & ad ea quæ uidemur nouaſſe, adduxit omnia. Malit itaq; S. M. T. exempla ſequi potentiſſimorũ & uere fœlicium Cæſarum, Conſtantini, Iouiniani, Theodoſij, & ſimiliũ, qui doctrina omnicũ manſuetudine cottidie per ſanctiſs. & uigilantiſs. Epiſcopos impartita, tũ Concilijs rite coactis, grauiq; omniũ rerũ diſcuſſione, cũ errãtibus agere, tentareq; omnia, ut in uiã eos reuocarẽt, prius quã ſeuerius quicquã in eos ſtatuerẽt, quã eorũ qbus cõſtat fuiſſe cõſultores, & priſcis illis ueteq; ſanctis patribus diſſimillimos, & euentũ quoq; contigiſſe pietati illorũ parũ reſpondentẽ. Hinc S. M. T. reuocare ſe illud ne patiatur, q; pleraq;, de qbus nũc diſceptatur, deciſa ſint olim, & pręcipue in cõcilio Conſtantienſi, maxime cũ uideat ex innumeris, non minus ſanctis quàm neceſſarijs ſuperiorũ conciliorum decretis, ne pilũ quidem ab eccleſiaſticis ſeruari, ſicq; degeneraſſe apud eos omnia, ut nemo uel cõmuni ſenſu prædituſ, nõ clamet Concilio.

restituendam religionem, Ecclesiasticiq; ordinis sanctimoniam, opus esse. Si uero illis adeo placet, quod sancitum est Constantiæ, qui factum est, ut nulla prorsus ratione, illud interim obtineri potuerit, ut singulis decennijs Christiana Concilia haberentur, id quod tum constitutum fuit? Nam hac uia multũ pietatis & fidei, uel recuperari, uel seruari potuerat. Sed quis non fateatur, quoties morbus increuescit, toties adhibendum esse remedium, & qui ueritatem uere habẽt, eos nunquã grauari illam & docere bonos, & defendere contra malos, ubi ullus modo huius fructus sperari queat? Iam tot millibus in religionis nostræ dogmatis misere adeo perplexis, quis neget spem esse fructus amplissimi, quæq; iure quoscunq; Christi spiritus regit, impulerit, ut quibũsuis rebus alijs omissis, omni labore sumptuq; contempto, in hoc unum totis uiribus incumbant, ut Christi doctrina, parens omnis iusticiæ & salutis, digne excutiatur, cunctisq; erroribus expurgetur, suaq; natiua facie, quibuscunq; pietas & germanus Dei cultus cordi est, offeratur, quo sancta, & in æternum firma pax, rerumq; omnium uera tranquillitas, perturbatis modo plus nimio ouibus Christi, pro quibus hic sanguinem fudit, restituatur, & confirmetur? Quæ illis nulla etiam alia uia, ut diximus, restitui & confirmari poterit, certis scilicet, alijs quidem in rebus sibi nihil non cedendum, at in negocio pietatis, sic uerbis Dei hærendum, nitendumq; esse, ut si mille animas haberent, omnes lanienæ offerre oportere citius, quàm cedere iota unum, uel minimum apiculum, quem persuasi sunt esse mandatum diuinitus. Si iam una duntaxat anima potior est toto orbe, quid facere in salutem tot myriadum addeceat? Tanta nimirum cũ spes inuitet, cum ex eo, quod hi, qui apud S. M. T. erroris deferuntur, nihil aliud quàm doceri se orant, & sacris scripturis ad quemlibet errorem confutandum abunde sufficientibus, totos se addixerunt, tum ex illo quod Christus seruator noster luculenter

adeo

promiſit, uel duobus aut tribus in ſuo nomine congregatis, ſe medium futurum, & quacunq; de re conſenſerint, hanc illis præſtiturum. Iſta uero pientiſſime Cæſar, haud alia de cauſſa hic memoramus, quàm ut S. M. T. quæ uoluit & nos, quid de reſtituenda religione ſentiamus exponere, nos morigeros præſtaremus. Nam bona alioqui eſt ſpes, ipſam T. S. M. pridem apud ſe probe diſpexiſſe, ſatisq; uidere, quæ ad id urgeat neceſſitas, quis inuitet fructus, quam denicq; hoc ipſum S. M. T. religionis atque clementiæ, tantopere laudata, dignum ſit, ut conuocatis quibuſque doctrina & pietate probatiſſimis uiris, ex diuinis literis, quid de ſingulis dogmatis, quæ modo controuertuntur, ſentiendum ſit, petatur, actum per idoneos Chriſti miniſtros, omni cum manſuetudine & fide, cunctis qui erroribus detenti creduntur, explicetur. Verendum tamen iuxta, haud deeſſe qui S. M. T. aliò trahere conentur, iſtis uiſum eſt per hæc, uelut apud te reſpondere. S. M. T. & hoc ipſum, & cætera omnia, quæ nullo alio, quàm Chriſti Ieſu Dei noſtri gloriam, pro noſtra portione adſerendi, & S. M. T. ut par eſt obtemperandi, hic expoſuimus, confeſſiq; ſumus, pro eximie celebri ſua clementia, in meliorem partem accipiat & interpretetur, noscq; inter eos habere dignetur, qui profecto non minus, quàm maiores noſtri illi nos cum ſumma ſubiectione, morigeros & addictos præſtare ex animo cupimus, in hoc, quoad liceat, res & corpora noſtra impenſuri. Rex regum Ieſus Chriſtus, S. M. T. in hoc, & alijs negocijs, ad gloriam ſuam omnia tranſigere donet, eamq; incolumem & florentem, in totius Reipub. Chriſtianæ ſalutem diu ſeruet, fœliciterq; prouehat. Amen.

ARGENTORATI GEORGIO VLRICHERO
Andlano Impreſſore. An. M. D. XXXI.
Menſe Septembri.